



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

ZENONI S.R.E. CARDINALI GROCHOLEWSKI

Venerabili Fratri Nostro

ZENONI S.R.E. Cardinali GROCHOLEWSKI

Praefecto olim Congregationis de Institutione Catholica

(de Studiorum Institutis)

Lodziensis ecclesialis communitas grato laetoque animo quingentos celebrat annos ab adventu sacrae imaginis Beatae Mariae Virginis, a Roma ad locum v.d. Łask translatae, hodie sedem videlicet praecipui sanctuarii Mariani totius archidioecesis. Ex alabastrite facta caelatura non solum ad pulcherrima monumenta aetatis e renascentibus artibus nuncupatae pertinet, sed testimonio etiam eminet multorum fidelium qui, saeculorum decursu, eam inspicientes, divina efflagitabant sibi suisque dona nec non omnibus regionis incolis. Summa celebratio huius iubilaei, qua in archidioecesi Lodziensi initium dabitur etiam celebrationi millesimae et quinquagesimae anniversariae memoriae Baptismatis Poloniae, die VIII proximi mensis Novembris agetur.

Dilectae Lodziensis Ecclesiae Archiepiscopus Metropolita, Venerabilis Frater Marcus Jędraszewski, hac data occasione, quaedam pastoralia incepta suis proponit fidelibus, ut clare videre possint quomodo Mater Salvatoris et Mater nostra historiam istius terrae sit comitata. Idem Lodziensis Pastor humanissime a Nobis quaesivit ut aliquem eminentem virum ad memoratam celebrationem mitteremus, qui Nostras vices in Łask posset gerere Nostramque erga christianos ibi adstantes dilectionem manifestare. Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, qui, insignis Poloniae filius, Congregationi de Institutione Catholica diligenter praefuisti, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris *Missum Extraordinarium Nostrum* nominamus ad celebrationem V centenarii adventus Sacrae Imaginis Beatae Mariae Virginis, memorato die proximi mensis Novembris in Łask sollemniter agendam.

De Maria loqueris quae “verbo divino consentiens, facta est Mater Iesu, ac salvificam voluntatem Dei, pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personae et operi Filii sui totaliter devovit” (*Lumen gentium*, 56), atque omnes hortaberis ad spiritalem vitam renovandam adque testimonium fidei, Maria tota pulchra et sancta intercedente, rite praestandum.

Dum per Te consalutamus omnes Praesules et universum clerum ac Poloniae populum, qui Mariali cultu inter alias Nationes clare eminet, pro certo habemus illos renovato animo cunctas vires suas in opus evangelizationis esse impensuros. Nos autem omnes fideles qui ad sacrum illum locum peregrinantes advenient, precibus prosequimur atque Deum omnipotentem obsecramus ut, materno praesidio Beatae Mariae Virginis de Łask suffulti, praeceptum caritatis in vita cotidiana diligentius servare valeant.

Munus tuum, Venerabilis Frater Noster, magni sane ponderis aestimantes, peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter Tibi impertimus quam universis celebrationum participibus transmittas libenter volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Octobris, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS